

De Amplexu Reservato

Notio. Amplexus reservatus est naturalis actus coniugalnis, iam ab initio ab utroque coniuge habitus cum intentione cohibendi in se plenam satisfactionem veneream, et ideo sine inseminatione virili neque intra neque extra mulieris vaginam.

Distinguitur a) *a tactu venereo*, sub cuius conceptu non solet computari naturalis corporum unio, licet imperfecta, ut est amplexus reservatus; b) *ab onanismo coniugali*, haec duo includente: actum completum et simul ipsum vi generandi industria humana destitutum; dum amplexus reservatus solum dicit actum incompletum; c) *a copula naturali perfecta* sicut imperfectum et incompletum a perfecto et completo, quia in amplexu reservato datur naturalis corporum unio, sed manca, id est ad suam naturalem biologicam et psicologicam completionem et perfectionem non perducta.

d) Unde amplexus reservatus nihil aliud est *in se nisi specificus et qualificatus actus venereus incompletus et imperfectus*.

Hoc nomen *amplexus reservatus*, videtur nuper inventum et diffusum a D. Paulo Chanson, auctore duorum operum, quorum tituli sunt: a) *Ars amandi*¹; b) *Ars amandi et Continentia Coniugalis*².

Praxis tamen non est nova. Iam abhinc plura saecula fuit in usu apud Orientales sub nomine amplexus «*a la Carezza*» vel *amplexus a l'Orientale*³. Plurimi quoque moralistae a saec. XVI de hac praxi egerunt in suis libris. Ita Caietanus⁴, Sylvester de Prierio⁵, Armilla⁶.

¹ P. CHANSON, *Art. d'Aimer*, París-Bruxelles, 1948.

² Id., *Art d'Aimer et Continence Coniugale*, París, 1950, Ed. Familiales de France. Huic ultimo operi Dni. Chanson addita est Appendix laudatoria, cui titulus: *Art d'aimer et Vie Spirituelle Chrétienne* par le R. P. H. M. FRÉRET, O. P., Professeur aux Facultés de Saulchoir.

³ CHANSON, o. c., 62.

⁴ In 2-2, q. 154 a, 1, XII, ad sexti primum et secundum casum

⁵ *Summa Sylvestrina*, ad verbum «Debitum Coniugale».

⁶ *Summa Aurea*, ad «Debitum Coniugale».

Sánchez⁷, Diana⁸, Billuart⁹, S. Alphonsus¹⁰, Sporer¹¹, Antoine¹², Ballerini-Palmieri¹³, Ferreres-Mondría¹⁴, et alii sine numero inter recentissimos. Tamen ii auctores praesentem quaestionem hoc modo proponunt: An licita sit copula incopta vel interrupta?

Difusio huius praxis. Propagatio huius praxis in his ultimis annis debetur praecipue eulgationi operum Chanson maxime in Belgio, Gallia et Italia. In duabus primis nationibus appellatur *Amplexus reservatus*, in Italia servat nomen antiquum *Carezza alla Orientale*. In Hispania non habet nomen, sed proh dolor! usus valde extensus est, saltem in quibusdam regionibus.

Amplexus reservatus iuxta auctorem. Auctor praedictorum operum proponit amplexum reservatum tamquam artem seu tecnicam amoris coniugalis et tamquam remedium imminuendi neo-malthusianismum in genere, et in concreto onanismum inter coniuges.

Apud omnes notum est innumeros coniuges christianos sive ob paupertatem sive ob motiva sanitatis, sive ob numerosam prolem, etc., nolle filios generare, aliunde ipsi non sunt dispositi ad *perpetuam abstentionem ab usu matrimonii*. Quomodo haec duo: non habere prolem et uti matrimonio, sunt inter se componenda, maxime inter coniuges christianos iuvenes?

a) Onanismus reprobatus est cum lege naturali et divino-positiva tum ab Ecclesia damnatus, ideoque a nullo conscientiae rectae admitti potest; b) continentia periodica non est infallibilis ad prolem omnino vitandam et secum fert non parva incomoda. Unde necesse est invenire aliud medium prolem secure vitans, conscientiam non offendens, quo coniuges simul coniugali frui possint intimitate. Tale est, ait D. Chanson, amplexus reservatus, qui mutuum fovet coniugum amorem et explet fere plene concupiscentiam. Quando «amplexus reservatus exercetur a Magistro in *Art d'Aimer* mitigat sensualitatem aequa ac actus completus, quia ille potest ipsum amplexum protrahere usque ad extenuationem et sedationem desiderii carnalis»¹⁵. Et infra¹⁶ scribit: «Amplexus reservatus potest et debet consequi, ut se ostendat magis sedativus (etiam pro sensu) quam amplexus completus praesertim rudimentarius, *empiricus*».

⁷ SANCHEZ, *De Matrim.*, III, l. 9. D. 19.

⁸ *Resolutiones Morales*, Venetiis, 1698, t. II, tr. 6, resp. 205, n. 2.

⁹ *Summa Sti. Thomae, De temperantia*, Dist. 6, a. 17.

¹⁰ *Theolog. Mor.*, t. VI, n. 918.

¹¹ N.º 400 — Apud S. Alph. Tr. VI, n. 918.

¹² ANTOINE, *Theol. Mor.*, Tr. *de obligat.*, c. III, q. 7 et 8.

¹³ *Theol. Mor.*, *De Matrim.*, c. 2, dub. 2, n. 375.

¹⁴ *Theol. Mor.*, II, 1077 (Barcelona, 1950).

¹⁵ P. CHANSON, o. c., 53.

¹⁶ Id. o. c., 56.

Thesis D. Chanson.—«Legitimus amor coniugalis secundum Chanson praeter virtutem et passionem, est quaedam ars, peritiam et technicam exigens» quam sponsi discere debent ad impletum finem amoris et matrimonii, quia hoc exigit *humanizationem et sanctificationem operis carnis*. Quod obtinetur cum sponsi habent dominium instinctus sensualis, ut inter ipsos verificetur mutua et totalis traditio personarum cum indistructibili societatis coniugalis concordia (harmonie). Haec ars amandi his praecipue commendatur motivis: a) Coniuges habent ius ad delectationem sexualem. Amplexus autem reservatus permittit eis eam honeste obtinere, immo et protrahere voluptatem unionis coniugalis per multum amplius temporis quam coniunctio completa consuete habita, procrastinando gratam eius sensationem a 5, 10,... usque ad 30 momenta ut minimum¹⁷, quae nunquam seminatione complenda est; b) quia mirifice fovet amorem coniugalem; c) optima procurat bona, nempe absolutam coniugum fidelitatem, vitam familiae communem magis affectivam et feliciorem; d), plura mala de se vitat, ut querelas domesticas, et praesertim efficaciter onanismum.

Fundamentum Theseos D. Chanson.—Si quaeris a D. Chanson fundamentum suae doctrinae, his tibi respondet argumentis: 1.^o Intimitates sine unione coniugali sunt fallaces, illusoriae, fictitiae, damnosae, contra exigentias cordis, carnis et conscientiae. a) Exigit cor, quia sola unio realis est votum amoris humani, dives significatione, symbolum amoris per incorporationem duorum in unum. Omnes alii agendi modi sunt ridicula amoris figura. b) Exigit caro, suggestens qualitatem teneritudinis ipsi convenientis; duae physiologiae, masculina et femenina, solum harmonice ludunt in actu a Creatore instituto. c) Exigit denique conscientia, aliae enim intimitates ad malum sunt consecratae. In ipsis luditur igne, compesci debent excitationes, in quibus moralitas et phisiologia non parum patiuntur¹⁸.

2.^o Non existunt nisi duae continentiae rationabiles: a) *continentia ascetica* et b) *continentia amorosa*; illa consistit in hoc quod coniuges vitam agant sicut frater et soror, devitantes quoslibet tactus, oscula, amplexus et quaslibet blanditiis; haec vero stat in sustinenda et procrastinanda aptitudine orgasmi sine emissione seminali. Haec secunda inservit his, qui volunt uti matrimonio —eo quod non ha-

¹⁷ Id., o. c., 29. Possibilitatem protractionis amplexus reservati ad dimidium horae iam probaverat p. 25 ex praxi coniugum orientalium et libertinorum occidentalium, qui coniunctionem sexualem producunt «au delà d'une bonne heure d'horloge», et addit: «Quare non poterunt id christiani, quibus spiritus superior est carne?»

¹⁸ Cf. *Limitation des Naissances et Conscience Chretienne*, 270-271, Ed. Famil., Paris, 1950.

beant vires ad primam continentiam servandam— et simul vitare prolem vel saltem limitare¹⁹.

3.^o Adde quod, ut iam dictum est, amplexus reservatus est concupiscentiae sedatio, placatio; recte exercitus est licitus et sanitatis benefactor²⁰.

CONDICIONES. Ad rectum amplexus reservati exercitium hae requiruntur condiciones: INITIATIO donec coniuges consequantur dominium suorum ipsorum in executione actus coniugalis, praesertim in ultima eius phasi compescendo reflexum procreationis, abstinentes a seminatione, quae faceret unionem perfectam. 2.^a ADQUISITIO CONTINENTIAE AMOROSAE, distincta, ut diximus, ab ascetica, et habet pro obiecto istud dominium sui ipsius in abstentione seminativa; 3.^a SECURITAS DOMINI INSTINCTUS SEXUALIS, quae omnino necessaria est ad unionem reservatam; secus haec esset graviter in honesta ob proximum pollutionis periculum, cui exponeretur.

QUANDO CONIUGES INITIATIONEM SEU DOMINIUM SUPER APPETITUM VENEREUM ADQUIRENT. a) Quando uxor est in statu graviditatis; b) In diebus agenesicis, et coniuges non debeant limitare prolem, quia si aliquis actus unionis reservatae felicem non obtinet exitum, coniuges possunt consumare matrimonium; actus enim coniugalis recte incep-tus est. Talis est summa doctrinae D. Chanson, ad nos quod attinet, super amplexum reservatum in citatis operibus expositae.

QUOMODO RECEPTA EST.—In Belgio, in Gallia et alibi tamquam magnum donum factum coniugibus catholicis, immo ut inventum non parvi momenti pro omnibus. Unice tria testimonia afferemus. Sit primum Perillustris Dermine, Canonici S. E. C. Tornacensis, scri-bentis: «Thesis auctoris (Chanson) est sponsos, ut plene consequantur finem providentialem amoris et matrimonii postulantis huma-nizationem et sanctificationem operis carnis, debere discere technice usum amoris et cum dominio... ita ut obtineant... mutuam et totalem suarum personarum traditionem seu donationem et indestructibilem vitae coniugalis harmoniam. Si consideretur sub *aspectu moralitatis*, ipsum scire apprime uti positione operis cum omni amoris recursu, non tantum offert proventum humanizandi opus carnis, sed etiam tribuit sponsis et speciatim uxori, non raro destitutae propter mariti egoismum plena oblectatione, plenitudinem satisfactionum, quas singuli ipsi habent ius percipiendi et fruendi, immo et obligationem tribuendi alteri et sese mutuo communicandi. Hoc fortius facit vinculum coniugale, firmorem securitatem praestat fidelitati, et tri-

¹⁹ P. CHANSON, o. c. 12s.

²⁰ Id., o. c. 53, 56 et passim.

buit relationibus specifice coniugalibus illum sensum profundum, originalem, insubstituibilem et insubrogabilem, quia vinculum coniugale suam transcendentiam absolutam relate ad omnem aliam relationem carnalem extraconiugalem signare debet»²¹.

P. Féret, O. P., D. Chanson gratulatur ob inventam ab eo possibilitatem dominandi et educandi instinctum sexualem²².

G. Dechamps approbat opus Chanson cum sub aspectu morali tum medicali²³, et ita alii plurimi.

Non pauci, e contra, ut Besse, Duméry, Laudrin severum operis Chanson instituunt iudicium²⁴. «Systema Chanson est satis simplex, sine ulla fere originalitate; est enim transpositio praxis orientalis (ex India), cuius novitas consistit in christiana talis praxis adaptatione vel in audacia praedicandi et laudandi apud christianos occidentales proxim, quae inter eos non viget nec unquam viguit»²⁵. Insuper, in nota eiusdem paginae plura incommoda methodo Chanson obiiciunt: 1) quod dissolvit (disloque) momenta naturalia coitus; 2) quod eroticismus obtentus tali processu dissociativo introducto in ipsam activitatem interiorum subiecti inclinat irrecussabiliter ad dualismum, cuius effectus sunt: a) confusio inter spirituale et sensuale (sensuale est, ex mente auctoris, usus sensibilitatis a ratione factus); b) confusio inter amorem—donum et delectationem mutuam; c) confusio inter veram dominationem quae reducit ad unitatem omnia elementa eiusdem experientiae et *habilitatem dissociandi* partes unius totius, quasdam eligendo partes et alias reiiciendo; d) adest periculum ut plures christiani mediocres et tepidi facile efforment conscientiam et vitam agant ad normam cuiusdam sensualismi commodi et confortantis. Sed post hanc vitam sensualem, quis eos iterum reducet ad ideale christianum, cuius doctrina de mortificatione est veluti quaedam spina pungens carnem, non autem ideale quoddam irreale et superfluum? Adsunt et alia plurima iudicia huic similia. Sed de iis postea dicemus.

DUPLEX QUAESTIO: a) IURIS; b) FACTI.

A) QUAESTIO IURIS. ESTNE LICITA UNIO RESERVATA? Fere omnes auctores moderni eam uti licitam habent. Considerant enim amplexum reservatum tamquam actum impudicum inter coniuges licitum, *quando non adest periculum proximum pollutionis*.—Mul-

²¹ *Limit. des Naissanc.*, 308.

²² P. FÉRET, O. P., Postface a *L'Art D'Aimer et Cont. Conj.*

²³ *Limit. des Naissanc.*, 294.

²⁴ Ib., 269-287.

²⁵ Ib., 272.

ti scriptores etiam commandant, quia protrahit oblectationem coniugum, favet mutuum amorem, et efficaciter vitat onanismum. Plures alii opere collectivo «*Limitation des Naissances*» suum calculum in favorem librorum Dni. Chanson emitunt his ferme verbis contentum: Commune moralistarum concedit hunc actum —amplexum reservatum— rite exercitum servare [moralitatis] normas. Non est locus proponendi quaestionem moralitatis; est enim res iam decissa (p. 278, nota 1), si abstracte consideretur.

Notandum est Dnum. Chanson, concessa a multis moralistis licetate amplexus reservati, proposuisse suam theoriam. Insuper, eius frater, Perillustris Canonicus, Cathed. Atrebensis (vulgo Arras) correctionem operum fecit in omnibus, quae secundum suum iudicium corrigi debebant. Autor habuit approbationem Hierarchiae Ecclesiasticae ad illorum editionem. Mirum non est confessarios et sacerdotes utriusque cleri saecularis et religiosi haec opera inter fideles commendasse.

QUAESTIO FACTI. Estne possibilis amplexus reservatus? et dato hoc fitne sine praeiudicio sanitatis coniugum? Soluta quaestione iuris de moralitate amplexus reservati a moralistis, solutionem quaestionis facti exhibet Chanson his duabus contentam affirmationibus: a) Facultas seu possibilitas cohibendi seminationem obtinetur mediante exercitio *ascesis* et firma voluntate; b) *plexus reservatus* non est damnosus sanitati coniugum, immo est beneficus eidem et efficaciter favet mutuum eorum amorem.—Ita quoque longe lateque scribunt fautores Chanson chorum cum ipso celebrantes²⁶.

PRIMUM ST. OFFICII DECRETUM

Non obstante approbatione seu imprimatur operum Dni. Chanson, multi sacerdotes et laici serio dubitabant de liceitate huius methodi et de opportunitate eam inter fideles introducendi. Anxietas et dubitatio crevit cum Stum. Officium, per decretum die 12 augusti 1950 ad Excmum. et Rvmum. Archiepiscopum Parisiensem, iussit afferri e commercio omnes libros Dni. Chanson simul prohibens novas edi-

²⁶ In citato tamen opere «*Limitations des Naissances et Conscience Chrétienne*», p. 267, in «*Nota liminari*» scribitur: «Nous aurions souhaité que ce débat s'ouvrît par un large exposé médical. Mais les médecins que nous avons pressentis à cet effet, l'on estimé prématûre... L'étreinte réservée n'a fait l'objet jusqu'ici d'aucune étude systématique en sexologie, neurologie, endocrinologie, etc. Et les spécialistes de ces disciplines se disposeront seulement à en aborder l'observation expérimentale». Dein autor notae proponit innumeræs quaestiones medicas circa amplexum reservatum, quae longo studio et experientia solvi debent.

tiones et versiones eorumdem in alias linguis, et hoc «*propter orientationem generalem et consilia particularia in eisdem data*». Excmus. et Rvmus. Archiepiscopus Parisiensis St. Officii decretum, ut eius cognitio ad omnes perveniret, publice edidit in ephemerede «La Semaine Religieuse» de Paris, die 30 septembris anni 1950²⁷.

Vis huius decreti

Non pauci scriptores St. Officii interventum interpretati sunt non ratione falsitatis doctrinae nec illiceitatis actus seu methodi propositae, sed propter imprudentiam auctoris tam vivide tamque indistincte artem amandi commendantis. Ita Kuppens in Ephemeride «Revue Scclésiastique de Liège»²⁸, decretum Sti. Officii explicabat «ad coercendam indiscretam diffusionem a librariis et commendationem a sacerdotibus factam, et ut praecaverentur mala, quae ex abusu huius praxis oriri possent...». «Ceterum, aiebat, non *reprobatur doctrina circa unionem reservatam*, sed tantum lyricam exaltationem describendi voluptuositatem carnalem.»

Tamen P. Carpentier, S. I., In «Nouvelle Revue Théologique» scribebat: «Decretum iubet libros (Chanson) e commercio arceri. Quamvis decretum responsum doctrinale non contineat, tamen indicat damnum, quod ex eorum lectione tam late diffusa provenire possit. Lectio librorum non est prohibita; at indistincte et sine discretione commendari non potest. Spiritus decreti St. Officii obligat ad arcenda haec opera e Bibliothecis publicis. Honestas huius praxis, nisi Sancta Sedes suam mentem expresserit, iudicabitur principiis moralibus, habitis prae oculis numerosis et rite probatis sponsorum christianorum experientiis»²⁹.

Plurima iudicia super opera Chanson in ephemeredibus theologicis sunt edita. In paucis nota condemnatoria huius methodi apponitur. P. Féret, O. P., uti iam diximus, proxim a Chanson evulgatam laudat et commendat. E contra P. Hering, O. P.^{29 bis}, de mortali eam damnat. De hoc postea dicemus.

²⁷ Par lettre datée du 12 août 1950, la S. C. du Saint Office nous a informés que les ouvrages de M. Paul Chanson: L'art d'aimer (Paris, 1950) et Art d'aimer et continence coniugale, avec postface du P. H. M. Féret, Art d'aimer et vie spirituelle chrétienne (Paris, 1950) devaient être retirés du commerce et qu'aucune nouvelle édition ou traduction ne devait être autorisée en raison de «l'orientation générale» et des «conseils particuliers» qui donnent ces ouvrages. Nous avons avisé les auteurs et à la demande de la S. Congregation, nous en informons, par ce communiqué aux fidèles». Maurice Feltin, Archevêque de Paris.

²⁸ 1950, p. 246-249.

²⁹ 1950, p. 1113.

^{29 bis} Cf. «Angelicum» t. 28, 1951, pp. 313-345.

MONITUM SANCTI OFFICII SEU 2UM. DECRETUM

Controversia inter auctores magis fervente, Sanctum Officium opportunum duxit sequens edere decretum seu Monitum:

«Gravi cum sollicitudine Apostolica Sedes animadvertisit non paucos scriptores his ultimis temporibus, de vita coniugali agentes, passim palam et minute ad singula eam spectantia inverecunde descendere: praeterea nonnullos actum quendam, amplexum reservatum nuncupatum, describere, laudare et suadere.

Ne in re tanti momenti, quae matrimonii sanctitatem et animarum salutem respicit, munere suo deficiat, Suprema Sacra Congregatio S. Officii de expresso mandato SSmi. D. N. Pii, divina Providentia PP. XII, omnes praedictos scriptores *graviter* monet, ut ab huiusmodi agendi ratione desistant, Sacros quoque Pastores enixe hortatur ut in his rebus sedulo advigilent et quae opportuna sint remedia sollicite apponant.

Sacerdotes autem, in cura animarum et in conscientiis dirigendis, nunquam, sive sponte sive interrogati, ita loqui praesumant quasi ex parte legis christiana contra amplexum reservatum nihil esset obiciendum.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 30 iunii 1952.

Notarius»³⁰.

Contentum Moniti

A) Reprehensio duorum abusuum. B) Monentur tres personarum classes.

Reprehensio abusuum a) minuta et inverecunda descriptio actus coniugalnis a non paucis scriptoribus facta, divulgando res intimas quae manere debent in sacro matrimonii silentio. b) Speciali modo prohibet scriptores «describere, laudare et suadere» amplexum reservatum.

Haec paragraphus est summa dictorum a Romano Pontifice in secunda parte Allocutionis ad Patres familias e Gallia Romam peregrinantes, habitac die 18 sept. 1951³¹, et in ultimo puncto Allocutionis ad Obstetrics Catholicas Italiae, die 29 oct. 1951³². De hoc ultimo documento alibi dicimus. In primo documento Romanus Pontifex mentionem facit de scriptis, libris, articulis, quae pertractant initiatinem sexualem et magnos exitus venditionis habent, totumque mundum

³⁰ Cf. AAS t. 44, 546.

³¹ Cf. AAS t. 43, 730-734.

³² Ib., 853.

invadunt et turbant infantiam, adolescentiam, futuros sponsos et iuvenes coniuges...

Ipse Papa conterritum se ostendit propter inverecundam descriptionem rerum intimarum ad matrimonii usum pertinentium et propter uberrimam litteraturam, si hoc potest dici, qua tales descriptions ubique sparguntur. Ex hac diffusione duo mala gravissima sequuntur. a) *exaltatio valoris voluptatis venereae cum praecidicio finis principalis matrimonii*; b) *debilitatio (enervatio) virium supernaturalium*, de quibus nullum fere verbum habent, cum certum sit vires supernaturales maximum valorem sanctificationis hominis, iuvenis vel adulti, coelibus vel uxorati continere.

Romanus Pontifex proponit in hoc monito sub forma prohibitiva, quae in citatis Allocutionibus reprehenderat et censuraverat tamquam ingens malum totam societatem invadens eamque corrumpens. Ideo in hoc Monitu severe reprehendit, et prohibet, a) minutas et invercundas descriptions intimae vitae coniugalis ab scriptoribus evulgatas; b) consequenter reprehendit quoque illos scriptores, qui describunt, laudant et suadent actum coniugum, «amplexum reservatum» nuncupatum.

EXTENSIO MONITI AD TRES PERSONARUM CLASSES

A) *Ad praedictos scriptores graviter monet, ut ab eiusmodi agendi ratione desistant.*

Ii auctores eorumque fautores putabant se describere debere hanc materiam usque ad minutissima particularia, his innixi rationibus: a) agitur de rebus coniugibus licitis; hinc illicitum esse nequit agere de iis, maxime in libris coniugibus et sponsis matrimonium iam inituris dicatis; b) Plurimi ex iis «technicam amoris» ignorant. Unde privantur gaudiis et bonis, quae auctor naturae iis concessit. Immo obstacula creant mutuae consonantiae non solum in usu matrimonialis iuris, sed etiam in totius vitae harmonia, et in dies crescentem animorum alienationem subeunt.—c) Non pauci ex dicta ignorantia conscientiae anxietates et remorsus experiuntur, dum quaedam, natura duce, peragunt. Verecundia, praesertim mulieres, impeditunt consilium quaerere de his ad suorum dubiorum solutionem. Hinc necessitas conscribendi libellos, in quibus haec ipsis exponentur, ut sciant omnia scitu digna.—d) si huismodi libri a catholicis scripti non habentur, adeuntur scriptores acatholici cum magno periculo amittendi rectum iudicium de his rebus et efficiendi actus omnino inconvenientes.

At Romanus Pontifex pro nihilo habuit has rationes, quae non valent iustificare tales publicationes. Et ultra rationes allatas addit: Hanc litteraturam non habere prae oculis lectionem experientiae ge-

neralis heri, hodie et semper habitae, atque in ipsa natura fundatae, quae experientia attestatur in educatione morali neque initiationem neque instructionem de se afferre aliquem profectum, immo, e contra, esse graviter damnosam, nisi ipsae sint fortiter alligatae cuidam constanti disciplinae, forti dominio sui ipsius, et super omnia haec viribus supernaturalibus orationis et sacramentorum fulcitate.

Insuper, his libris amittitur pudor, et haec est alia ratio prohibitiōnis.—Nam *pudor* est quaedam tutela honestatis publicae ac privatae. Psychologi spiritualistae damnant unanimiter quamlibet in conventu iuniorum revelationem eorum, quae ad vitam sexualem spectant. Haec enim revelatio natura sua prodit intimitatem vitae sexualis, quae sub secreto manere debet, nisi prudenter a determinatis personis et sub certis condicionibus manifestetur. Ergo laesio pudoris in societate humana proscribenda est ob pericula iuvenibus oblata. Adde quod etiam pro adultis solet esse occasio pravarum sensationum et non raro peccatorum. Ad rem Dr. Biot, unus ex medicis, ex invitatione, operum Chanson criticis, scribit: «Mea generalis impressio coram thesi Dni. Chanson est sensus repugnantiae, immediatus quasi spontaneus... Quoad partem psychologicam huius operis easdem quaestiones ac illas propositas a Dnis. Besse, Dumery et Laudrin propono. Et licet medicus sim et omne genus confidentiarum a meis clientibus acceperim, non possum a me abiicere sensum nauseac cum video expositos tam accurata minutiositate motus, quos maritus exercere debet... Scio existere personas optimis et delicatis affectibus praeditas, quae ob huiusmodi analyses sensationum voluptuosarum pudorem amiserunt: et puto, saltem quoad me, pudorem esse partem integrantem amoris»³³.

B) Secunda monitio St. Officii dirigitur ad *Sacros Pastores*, speciatim ad Excmos. et Rvmos. Episcopos, locorum Ordinarios. In primis notandum est magnum discrimen inter primam et secundam monitionem. In illa *graviter* monet scriptores ut desistant a tali modo scribendi; in hac *enixe* *hortatur* locorum Ordinarios ut *sedulo ad-vigilent et quae opportuna sint remedia sollicite apponant*.—Sacrī igitur Pastoribus inculcatur sedula vigilantia et accurata impletio munieris circa «Praeviam censuram et prohibitionem librorum», de quo munere in C. I. C. agitur a can. 1384 ad 1405. Episcopi debent excitare zelum Commissionis Vigilantiae Diocesanae, ne edantur libri contra bonos mores et si eduntur, statim eos ipsi Ordinario denuntiant. Item zelum Censorum diocesanorum dum criticum de libris ferunt iudicium.

NB. 1.^o In hac monitione ad *Sacros Pastores* nihil particulare

³³ *Limit. des Naissanc.*, 289-291.

addit St. Officium, quia haec omnia multum pendent a specialibus personarum et locorum condicionibus.

2.^o Cum libri et articuli de rebus sexualibus pertractantes campum ethicum moralem non solum tangent, sed plene ingrediantur, omnes, inquam, ii libri, etsi a laicis conscripti vel editi, subsunt praeviae censurae «Auctoritatis Ecclesiasticae», et publicari nequeunt sine praevia Ordinariorum licentia. Si tales libri, neglecta hac praevia censura et licentia edantur, ipso iure sunt *prohibiti* (can. 1398 § 1; 1399, 3.^o). Ordinarii, igitur, ex iure habent aliquod remedium sat efficax impediendi publicationes, res sexuales indebite et inverecunde tractantes. Notum est Supremam S. C. S. Officii ultimis annis iussisse huiusmodi publicationes e commercio retrahi³⁴.

C) *Tertia classis personarum*, ad quas se refert Stum. Officium, «sunt sacerdotes curam animarum habentes et conscientiarum directores, qui numquam sive sponte sive interrogati, loqui praesumant quasi ex parte legis Christianae contra amplexum reservatum, nihil esset obiciendum».

Hoc vetitum St. Officii indistincte pronuntiatum se refert a) ad doctrinam; b) ad pastoralem curam coniugum, qui hunc agendi modum exercent vel exercituri sunt. De hoc sensu reprobative Sti. Officii dubium esse non potest. Iam vero quid significant verba «ex parte legis christiana contra amplexum reservatum aliquid esse obiciendum» in se et ex mente St. Officii?

Respondemus.—Certo saltem significant hoc: amplexum reservatum non posse sine omni distinctione et restrictione dici *licitum*. *Ex altera parte* haec verba prout sonant, non necessario significant: Hunc amplexum *ex natura sua intrinseca* esse contrarium Ethicae christiana, ideoque semper *illicitum*. Hinc haec conclusio practica: Prohibitionem St. Officii infringit sacerdos 1) *explicite*, si paenitenti interroganti respondet *unionem reservatam* nullo modo in lege christiana reprobari; 2) *implicite*, si noster modus loquendi *nullam curam in conscientiam* paenitentis immittit circa amplexum reservatum.

QUAESTIO. Impleret Monitum St. Officii sacerdos ingerendo tantum dubium in conscientia paenitentis, loquendo de periculis possibilibus in unione reservata?

Affirmant nonnulli auctores innixi prudenti silentio St. Officii in Monitum observato. Alii fundati in ipsis verbis negant. Nam St. Officium expresse docet quod sacerdotes, sive sponte sive interrogati debent obicere aliquid ex lege christiana contra amplexum reservatum. Ab hoc non satis est spargere dubium in conscientia paeniten-

³⁴ Cf. HÜRT, «Period. de re mor. can. et lit.», 1952, 254.

tis. Hinc sequitur quod sacerdos debet studere theologiae morali et parare rationes contra unionem reservatam.

DE LICEITATE VEL ILLICEITATE AMPLEXUS RESERVATI

Liceitas vel illiceitas alicuius actus sumitur: a) *ex seipso, obiective* considerato; b) *ex circumstantiis*, tunc ex parte obiecti tum ex parte subiecti actum ponentis. Unde duplex aspectus nostrae quaestitionis.

1) *Amplexus reservatus*, estne licitus attenta obligatione hominis nihil efficiendi contra eius sanitatem? Aliis verbis: Peccant coniuges contra quantum legis divinae praeceptum per usum unionis reservatae, saltem habitualis? —Medici diversimode sentiunt. Aliqui vident in usu amplexus reservati periculum sanitatis, eo quod sit valde damnosus systemati nerveo, praesertim in femina. Unde iuxta ipsos talis usus, saltem habitualis, peccatum leve constituit. Alii e contra, licet non multi, tenent favere sanitati, si aliter ab usu matrimonii deberent se abstinere. Problema *mora*le non solvitur ex hac parte³⁵.

ASPECTUS MERE MORALIS

1.^a Quaestio. *Amplexus reservatus*, estne illicitus in seipso, ratione ipsius actus?

2.^a Estne illicitus ratione circumstantiarum tum obiecti tum subiecti?

3.^a Si est illicitus, estne peccatum mortale vel veniale?

Sanctum Officium has quaestiones non solvit, quia ex formula ab ipso adhibita non potest concludi «amplexum reservatum», voluntarie exercitum, semper esse peccatum veniale. Solutio igitur ex theologia morali petenda est.

1.^a QUAESTIO. ESTNE PECCATUM IN SEIPSO, ratione ipsius actus, sine *proximo periculo pollutionis* coniugum?

Duplex sententia. 1.^a *asserit* semper esse peccatum mortale vel veniale.

2.^a docet posse dari casum, in quo, servatis omnibus condicionibus, non sit peccatum.

Sed antequam utramque sententiam exponamus, nonnulla in memoriam sunt revocanda ut melius percipiatur vis argumentorum utriusque sententiae et illorum solutio.

³⁵ Cf. nota 26.

QUID ACTUS VENEREUS.—Est quaelibet actuatio, commotio organorum genitalium, in quantum haec organa actui generativo destinantur et inserviunt.

Divisio. Actus venereus dividitur a) in *completum et incompletum*, prout appetitum sexualem plene sedat vel non.

b) in *perfectum et imperfectum*, prout ex sese sufficit vel non ad naturalem prolis generationem obtainendam, in quantum haec ab actu venereo naturali pendet. Ideo actus venereus perfectus est sola copula naturalis ita naturali corporum unione habita, ut vir immediate naturali modo seminet in vagina naturali mulieris. Quilibet alius actus venereus, sive completus sive incompletus, hoc sensu est *imperfectus*³⁶. Iam vero amplexus reservatus, ut diximus, est actus venereus *incompletus et imperfectus*, quia de se nec plene satiat appetitum³⁷ nec aptus est ad prolis generationem, eo quod uterque coniux orgasmum inhibere debet.

MORALITAS ACTUS VENEREI.—Honestas cuiuslibet actus venerei sive completi sive incompleti pendet ab eius *debita* sub fine generationis subordinatione, quam natura ita inesse voluit singulis actibus, ut talis subordinatio et finalitas sit ipsis intrinseca, ut Pius XII exposuit in Allocutione diei 29 oct. 1951³⁸.—Ideo haec obiectiva destinatio et subordinatio, quia a natura actus imponitur, debet esse a) alia in naturali matrimonii usu *completo et perfecto* et b) alia in naturali usu *incompleto et imperfecto*.

In a) talis obiectiva destinatio et subordinatio debet esse (et quidem ex naturae institutione) *perfecta, constitutiva, executiva et effectiva*, id est quod *usus venereus completus* tunc tantum servat debitam sub fine generationis subordinationem, cum exhibet ex parte activitatis coniugum omnia elementa, quae ex eorum parte ad novam vitam procreandam, requiruntur et sufficiunt.

In b) praedicta destinatio et subordinatio (ex naturae institutione) debet esse tantum *incompleta, inchoactiva, dispositiva sive proxime*

³⁶ Aliqui auctores indistincte usurpant terminos «completum et perfectum, et incompletum et imperfectum in actibus venereis»; tamen quoad nos distinguuntur. Et quandoque incompletum et imperfectum coincidunt, ut in nostro casu de amplexu reservato; quandoque discrepant: v. g. in pollutione, quae est actus completus in satisfactione, imperfectus in ordine ad generationem; haec enim ex illa naturaliter sequi nequit.

³⁷ Non est audiendus Chanson dum asserit amplexum reservatum plene sedare appetitum. *Art. d'Aimer et Cont. conj.*, 53, 56.

³⁸ AAS t. 43, 1951, 849-850.

*sive remote*³⁹, prout tales actus venerei, *impudici* appellati, sint immediata praeparatio ad copulam perfectam habendam, vel in aliis occasionibus sine intentione coniugalis unionis exerciti.

Iam age: omnes ii actus venerei imcompleti, attenta communi recentiorum doctrina, essentiali servat destinationem et subordinationem ad actum perfectum deinde post intervallum maius vel minus ponendum, dummodo illi recte fiant sine intentione pollutionis vel proximum eius periculum inducendi. Nam tales actus semper iuvant ad mutuum affectum sexualem inter coniuges fovendum, quem natura in eisdem firmum et validum intendit et vult ad obtainendum primarium matrimonii finem. Pariter praedicti actus inserviunt ad vigorem sexualem coniugum augendum vel saltem conservandum, sicut ipsa natura vult in eisdem existere ob prolis generationem. Idem dicendum est de aliis finibus secundariis: v. g. amoris fovendi, suspicionis removendae, temptationis contra fidelitatem vincendae, qui fines primario prolis fini subordinantur. Quare actus *incompleti et imperfecti*, his finibus faventes, *natura sua* disponunt *mediate* et iuvant ad actum perfectum, ad quem et cui *natura sua* sunt *mediate* destinati et subordinati.

Itaque praedicti actus *in se* considerati, in sua realitate obiectiva, praescindendo a circumstantiis obiecti et subjecti (ex quibus non raro inhonesti fiunt), ex proportionata causa et rite positi sunt liciti ut plurimorum superioris aetatis doctorum et communis recentiorum doctrina tenet.

Tamen circa amplexum reservatum, qui, ut diximus, est actus incompletus et imperfectus, quique ut talis retinet semper in sensu obiectivo naturalem aptitudinem, destinationem, tendentiam ad propriam sui completionem et perfectionem, duplex datur sententia, ut notatum est, relate ad honestatem ipsius actus *in se* considerati.

Utraque sententia ad hanc solvendam quaestionem ex duplice fonte sua desumit argumenta, sc. a) ex auctoritate, b) ex ratione.

Argumentum auctoritatis non afferemus. Patroni utriusque sententiae plurimos in suum favorem allegant auctores. Pater Hyacinthus M. Hering, O. P., in suo notabili articulo «De amplexu reservato», in favorem primae sententiae, quam ipse sequitur, 15 auctores ex antiquis a Sylvestro de Prierio († 1523) ad S. Alphonsum († 1787) adducit et ex recentioribus 5, qui omnes, nempe Antonelli, Ballerini, Marc-Gestermann, Merkelbach et Capellmann, prae omnium manibus sunt⁴⁰.

³⁹ HÜRT, «Periodica de re mor. can. et lit.», I. c.

⁴⁰ Cf. «Angelicum», t. 28 (1951), 326-331. NB. Non videtur clare quod Merkelbach, O. P., sit pro 1.^a et non pro 2.^a sententia. Cf. eius *Summam Theol. Mor.* 3, n. 956, 5 col. cum 4 eiusdem numeri.

Pro secunda sententia, inter recentiores communissima ut laudatus P. Hering fatetur, affert ipse undecim auctores. Ex antiquis unum, Thom. Sánchez, primum huius sententiae uti videtur patronum, al- legat et ex recentioribus decem, nempe Vermeersch, Cappello, Kup- pens, Tiberghien, Dermine, canonicus Chanson, Martin, Féret, O. P., Gillet, O. P., Carpentier⁴¹. His potuisset addere ex recentioribus no- tissimos moralistas Genicot - Salsmans - Gortebecke⁴², Ferreres-Mon- dría⁴³, Noldin-Schmitt⁴⁴, Regatillo⁴⁵, Hürt⁴⁶, Deschamps⁴⁷ et alios.

Omissa, igitur, auctoritatis argumento utriusque sententiae, liceat ipsarum rationes breviter exponere:

Prima sententia hanc statuit conclusionem: «Inchoare copulam cum intentione cohibendi seminationem, licet sine periculo pollutio- nis, est illicitum et quidem sub gravi»⁴⁸.

En rationes, quibus probatur.

1) Usus venereorum tunc tantum potest esse absque peccato, si fit *debito modo et ordine, secundum quod est conveniens* (*i. e. aptus*) *ad finem generationis*. Atqui amplexus reservatus ex natura sua non est aptus ad finem generationis. Ergo ex natura sua est contra rectum ordinem et moraliter malus. 2) Alii ita arguunt: Actus venerei coniugibus non sunt liciti, nisi in quantum inserviunt vel ad bonum prolis vel ad bonum fidei. Amplexus autem reservatus non inservit nec ad bonum prolis nec ad bonum fidei. Ergo est moraliter illicitus.

Resp. haec duo argumenta, licet diversa via, idem dicere. Unde auctores alterius sententiae respondent:

Ad primum: Disting. maiorem: si fit debito modo et ordine se- cundum quod est conveniens ad generationis finem, prout exigit *natura propria* ipsius actus de quo agitur, conc.; modo et ordine pro- priae ipsius actus naturae non convenienti, neg. Nam omnes fere recentiores, patentibus ipsis defensoribus primae sententiae, tenent omnem actum incompletum *servare ordinationem essentialiem* ad ge- nerationem, dummodo fiat sine *proximo* pollutionis periculo, ut po- nitur in nostra quaestione.

⁴¹ Ibid., 324-326.

⁴² *Inst. Theol. Mor.*¹⁷, II, 666, Brusel., 1951.

⁴³ *Comp. Theol. Mor.*¹⁷, II, 1077, Barcin. 1953.

⁴⁴ *De sexto praecepto et de usu Matrim.*, n. 94, Oeniponte, 1940.

⁴⁵ «Sal Terra», 1953, t. 41, 103-111.

⁴⁶ «Period. de re mor.» can. et lit., 1952, t. 41, 268-269.

⁴⁷ *Limit. des Naissances*, Paris, 1950, 204.

⁴⁸ Cf. «Angelicum», I. c., 331.

Ad minorem. Atqui Amplexus reservatus ex natura sua non est aptus ad finem generationis. Disting. non est aptus *immediate et effective*, conc.; *mediate et dispositive*, neg. Actus incompletus ordinatur de se ad ulteriorem actum completum per se *immediate et effective* aptum ad generationem prolis, qui actus potest sequi post intervallum plus vel minus longum a positione amplexus reservati.

Ad secundum argumentum respondeatur simili modo. Etenim amplexus reservatus, supposita rectitudine executionis eiusdem, inservire potest tum bono prolis tum bono fidei. a) Bono prolis non quidem *executive, sed dispositive, et mediate*. b) Bono fidei, conservando et promovendo mutuum coniugum affectum *matrimoniale*, qui affectus contineat (non quidem primo et principaliter), sed ex voluntate naturae et Creatoris etiam naturalem affectum *sexualis*⁴⁹ et augere vel saltem conservare vigorem ipsius appetitus sexualis.

3) Vi contratus naturalis anus coniux non habet ius in corpus alterius nisi in ordine ad actus per se aptos ad generationem prolis (can. 1081, § 2), i. e. ad copulam rite paractam cum seminatione. Atqui evidens est copulam inchoatam cum intentione cohibendi seminationem non esse actum per se aptum ad generationem prolis. Ergo coniuges ad talem actum nullum ius habent. Unde talis actio est graviter illicita, cum agatur de re gravi; pervertitur enim et excluditur ordo essentialis actus venerei ad suum finem naturalem, ad generationem prolis.

Ad maiorem: *Locutio ad actus per se aptos*. Verba canonis sunt: «Consensus matrimonialis est actus voluntatis quo utraque pars tradit et acceptat ius in corpus perpetuum et exclusivum, in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem». In his verbis non habetur limitatio. In maiori autem argumenti ponitur, limitatio, sc. «ad copulam rite paractam cum seminatione». Nam canonistae et moralistae generatim dicunt «ad actus per se aptos ad generationem prolis pertinere non solum actum *perfectum, completum*, seu *coitum naturale*, sed etiam *naturales actus imperfectos*, qui naturali sua indole perduncunt et praeparant sive *immediate et proxime*, sive *mediate et remote* ad illum, i. e. ad actum perfectum.

4) «Vitium contra naturam, ait St. Thomas, est in omni actu venereo ex quo generatio sequi non potest»⁵⁰. Atqui ex copula reservata facta cum intentione cohibendi seminationem generatio prolis sequi non potest. Ergo est grave peccatum, ad vitium contra naturam reductive pertinens.

⁴⁹ Cf. HÜRT l. c., p. 265.

⁵⁰ 2-2 q. 154 a. 1.

Respondetur amplexum reservatum non esse vitium contra naturam, quia vis dispositiva ad actum completum, quae normali unioni corporum ex naturali structura inest, retinet eum in linea activitatis secundum naturam, non contra naturam. Siquidem actus onanisticus est contra naturam, quia neque *immediate* neque *mediate* potest ordinari per se ad generationem; sed copula reservata potest saltem *mediate* ordinari ad generationem post intervallum. Unde non est actus contra naturam. Insuper, verba St. Thomae intellecta, ut volunt propugnatores primae sententiae, damnant copulam perfectam in diebus infecundis habitam, quae tamen *in se obiective* ex gravi motivo licita declarata est a Pio XII in Allocutione ad Obstetrics Catholicae Italiae, die 29 Oct. 1951⁵¹. Ex verbis St. Thomae ita intellectis sequeretur illicitam esse copulam perfectam 1) cum muliere pregnante; 2) cum castrata vel quae menopausiam iam passa est; et tamen Ecclesia acceptat matrimonia harum mulierum; 3) Ipse St. Thomas non tenet suum principium cum rigiditate, quam auctores primae sententiae ei tribuunt. Nam in 4 S., d. 34, q. unica, a. 2 in resp. ad 3 haec scribit Angelicus Doctor: «Vetuli quandoque non habent calliditatem sufficientem ad generandum, tamen habent sufficientem ad carnalem copulam, et ideo conceditur eis secundum quod est in remedium, quamvis non competat eis secundum quod est in officium naturae». Eadem habet in Suppl., q. 58, a. 1 ad 3. Denique Pius XI in Encyc. Casti Connubii 31 dec. 1930⁵² docet honestum esse *de se* actum coniugalem sincere et normaliter habitum in remedium concupiscentiae et ad fovendum mutuum amorem, salva ordinatione ad finem primum generationis in complexu vitae coniugalnis, et servata temperantia⁵³. Ergo amplexus reservatus non potest considerari tamquam actus venereus contra naturam.

5) Arguunt patroni primae sententiae: «Inchoatio copulae (inter coniuges), si ordinatur ad debitum finem (ad seminationem) est bona et licita». Respondetur, si recte fit ut supponitur, conceditur. «Si non ordinatur ad hunc finem est mala et illicita et quidem graviter ut actus turpissimus». Distinguitur: Si nullo modo ordinatur ad hunc finem i. e. seminationem. conc. Si non ordinatur *immediate et effective*, sed ordinatur *mediate et dispositiva* ita ut futuro actui completo ponendo proficiat, nego. In hoc arguento supponitur ut probatum quod est in controversia, videlicet: Utrum amplexus reservatus (seu copula inchoata), excluso proximo pollutionis periculo, sit *in se* semper illicitus necne. Cf. dicta in responso ad duo priora argumenta.

⁵¹ Cf. AAS t. 43, 844; cf. HÜRT, l. c.

⁵² AAS t. 22, 561.

⁵³ DB 2241.

Secunda sententia asserit non constare certo amplexum reservatum, excluso proximo pollutionis periculo servatisque debitibus conditionibus esse *in se semper illicitum*, seu quod idem est illum in aliquo casu licitum esse posse.

A) In debito coniugali reddendo et exercendo duae virtutes speciales sunt servandae: iustitia nempe et castitas. Excluso autem proximo pollutionis periculo et proportionata causa interveniente, dari potest casus aliquis, in quo nulla ex his virtutibus violetur in amplexu reservato peragendo. Ergo.

1) *Non violatur iustitia* quando fit ex mutuo consensu, ut evidens est, quia nullum ius violatur.

2) *Potest non violari castitas coniugalis nec graviter nec leviter.*

a) *Non graviter*, quia coniuges inter se agentes tunc tantum peccant *graviter* contra castitatem coniugalem, cum voluntarie exercent actum venereum 1) contra primarium matrimonii finem, sc. pollutionem, sive solitariam sive onanisticam sive sodomiticam, aut 2) inducunt proximum praevisum pollutionis periculum, sine iusta causa. Ita omnes auctores⁵⁴. Iam vero de ratione amplexus reservati est non emissio seminis nec intra nec extra vaginam. Insuper positio huius sententiae procedit in hypothesi de excluso proximo pollutionis periculo. Ergo amplexus reservatus *in se*, servatisque praedictis conditionibus, potest dari sine peccato mortali.

b) *Nec leviter*. Amplexus reservatus *in se*, in sua obiectiva realitate biologica ac physiologica consideratus, est actus venereus imperfectus et incompletus, nempe ad sui completionem et perfectionem non perductus, ut patet ex ipsius conceptu⁵⁵. Actus imperfecti, ut tactus turpes, fatentibus ipsis auctoribus primae sententiae, sunt *in se* indifferentes moraliter; secus numquam essent honesti⁵⁶. Insuper ipsi primae sententiae auctores tenent tactus impudicos a coniugibus inter se agentibus in verendis exercitos *licitos* esse, si fiunt cum gravi causa proportionata, nec ob solam delectationem, sine voluntate quae-

⁵⁴ Cf., si vis, MERKELBACH, *Theol. Mor.*, III, 923 et 926; FERRERES-MONDRÍA, *Theol. Moral.*, II 1076; NOLDIN-SCHMITT, *De sexto Praecep. et de usu matrim.*, n. 93.

⁵⁵ Nec obstat quod plures auctores eum non computent inter actus imperfectos, quia realitas obiectiva illius est realitas actus imperfecti et incompleti. Ceterum fere omnes auctores qui de eo disserunt, ut actum imperfectum habent et ita de ipso iudicant.

⁵⁶ «Actus imperfecti de se, scribit Merkelbach, non sunt nec contra naturam nec iuxta naturam, quia de se nihil tale dicunt, sed ab utroque abs-trahunt» (I. c., p. 920 nota (1) et 921 nota (1); P. HERING in «Angelicum», t. 28 (1951) 317.

rendae pollutionis aut consensus in eam forte exorientis et *sine proximo praeviso pollutionis periculo sine causa iusta*⁵⁷. Ergo amplexus reservatus in aliquo casu, his vestitus condicionibus, potest esse etiam sine peccato levi. Ergo non constat certo amplexum reservatum in se, excluso proximo periculo pollutionis, semper esse illicitum.

Dices: dato quod amplexus reservatus «considerari possit ut tactus impudicus, cum reponatur inter tactus valde turpes, a pluribus sub gravi prohibetur».

Respon. quod si plures auctores prohibent, ut grave, amplexum reservatum, alii plurimi non damnant eum de mortali, modo recte fiat servatis praedictis condicionibus, immo nec de veniali. Ad rationem additam «*cum reponatur inter tactus valde turpes*». Respondeatur: Noldin-Schmitt agens de *irrumatione* et similibus actibus, scribit: «Nulla est aut fingi potest actio [ideoque amplexus reservatus] quae ob solam foeditatem sit adeo intrinsece mala, ut *numquam licita fieri* possit. Ideoque non desunt auctores (Sanchez, Filiucci, Sporer, Ballerini, Berardi, etc.), qui censem illos actus (*irrumationem* et similia) ex communi regula de liceitate actuum imperfectorum eximendos non esse. Si ergo ex experientia constaret, in determinatis personis illos actus non inducere proximum pollutionis periculum, saltem graviter peccaminosi non essent»⁵⁸. Ergo a fortiori amplexus reservatus, excluso proximo pollutionis periculo ut ponitur in hac quaestione, in aliquo casu dari potest, sine peccato, saltem mortali et, servatis dictis condicionibus, etiam sine veniali.

B) Uxor, servatis debitibus condicionibus, licite cooperari potest materialiter in naturali viri sui onanismo⁵⁹. Mulier tamen in hac cooperatione iam ab initio praevidet et moraliter certo scit hunc actum coniugalem onanisticum numquam ad naturalem generationem prolix perductum iri. Pariter iam ab initio, ipsa, non obstante tali praevisione et scientia, ipsum coitum *libere* et *deliberate* vult, *vero actu humano* peragit et licite peragit. Ergo dari potest naturalis coniugum unio *in se non moraliter mala*, etiamsi coniuges iam ab initio praevideant et sciant ipsam naturalem corporum unionem numquam perventuram

⁵⁷ MERKELBACH, I. c., n. 924, 2.^o et nota (1) p. 920.

⁵⁸ NOLDIN-SCHMITT, I. c., n. 94.

⁵⁹ S. Paenit., 1 febr. 1823; 3 apr. 1916. In hoc ultimo loco ait: «Uxor ex probatorum theologorum sententia *licite potest in hoc casu sic cum marito suo coire*; quippe cum ipsa ex parte sua dat operam rei et actioni licitae; peccatum mariti permittat ex gravi causa» (Cf. MARC-GESTERMANN, *Theol. Mor.*, II, 2116). Inter causas ad rem nostram facientes inveniuntur hae due: a) *ut uxor peccato viri non consentiat*; b) et causa gravis existat permittendi *peccatum viri*.

ad naturalem prolis generationem, modo ipsi coniuges vitent pollutionem proximumque eius periculum, rite in actione peragenda procedant et adsit causa proporcionate gravis ad ita agendum. Ergo non constat amplexum reservatum, excluso proximo pollutionis periculo, servatisque aliis condicionibus, esse semper illicitum.

Dices fortasse: Materialis uxoris cooperatio in naturali onanismo viri sui multum differt ab amplexu reservato. Nam a) mulier in illo actu non peccat, quia iam ab initio habet et retinet usque ad finem suae materialis cooperationis voluntatem et intentionem recte peragendi naturalem corporum unionem; b) dum coniuges in amplexu reservato habent intentionem naturali primario matrimonii fini contraria, excludendo prolis generationem.

Resp.—Obiiciens concedit actionem mulieris in onanismo naturali sui viri, non obstante praevisione et scientia non obtinendi finem naturalem primarium matrimonii esse licitam et opponit: 1) «*hanc actionem multum differre ab amplexu reservato*». Distinguо: *In fine actus*, conc., quia in onanismo naturali vir effundit semen extra vas debitum, crimen Onan patrans. In amplexu reservato nihil tale fit. Unde hic ex hac effusione non est illicitus.—*In reliqua parte actus*, nego.—Siquidem materialis cooperatio in praedicto onanismo non differt ab amplexu reservato a) *physiologice*, ut evidens est; b) nec *psychologicę*, quia mulier *libere, deliberate*, vero actu *humano* ponit (vel etiam petit) unionem coniugalem, quam ab initio scit numquam ad naturalem generationis finem perventuram, sicut coniuges *libere, deliberate*, vero actu *humano* in amplexu reservato excent naturalem actum coniugalem numquam ad naturalem generationem prolis perventurum, si verus amplexus reservatus peragit, c) *nec moraliter* ut patebit ex sequenti responsione.

A) Ad rationem positam in a)—Distinguо.—Materialis uxoris cooperatio in naturali viri sui onanismo est licita, quia in se est res et actio licita, quae in sua *liceitate* confirmatur et augeri potest per bonam mulieris intentionem perficiendi recte actum coniugalem, conc. —illa uxoris cooperatio est licita, quia bona eius intentio et voluntas perficiendi actum coniugalem ita mutat moralitatem ipsius actus, ut ex actu in honesto faciat actum honestum, neg.

Nota est efficacia intentionis respectu actus qui assumitur ut medium ad finem. Si actus est ex suo objecto seu intrinsece indifferens, fit bonus vel malus prout intentio est bona vel mala; v. g. deambulatio ex obedientia est bona, ex sola vana gloria est mala.

2) Si actus est bonus ex objecto suo, ex bona intentione novam adquirit bonitatem: v. g. eleemosyna facta ob reverentiam in Deum, obtinet bonitatem religionis ultra misericordiae bonitatem.

3) Actus bonus ex mala intentione fit malus: v. g. oratio ex vana gloria. Et erit totaliter vel partialiter malus prout intentio mala sit causa totalis vel partialis actus boni.

4) Si actus *ex obiecto seu intrinsece* est malus non fit bonus ex bona intentione: v. g. onanismus condomisticus non fit bonus ex bona intentione uxoris volentis perficere recte actum coniugalem⁶⁰. Ideo Apostolus scribit: «Et... non faciamus mala ut veniant bona»⁶¹, et S. Thomas: «Nullum malum bona intentione factum excusat»⁶². Ergo materialis illa cooperatio uxoris in onanismo naturali non est *in se mala* sed licita, ut dictum est. Et intentio bona vel *saltem non mala* requiritur ut illa cooperatio non amittat suam honestatem. Itaque non debet velle actionem pessimam sui mariti, et debet habere causam saltem iustum (secundum benignorem sententiam) ad permittendum illius peccatum. Ergo actus incompletus ex parte uxoris (licet ab initio sciat ipsum numquam futurum esse completum) est honestus; ergo actus incompletus amplexus reservati *in se* consideratus, in quo non datur pollutio nec pollutionis periculum, potest esse licitus ex utraque parte.

Instabis. Quod cooperatio materialis onanismi naturalis sit actus incompletus non pendet a voluntate uxoris, sed a causa extrinseca, a voluntate nempe sui mariti abrumpentis actum coniugalem.—*Resp.* —Etiam in exercendo amplexu reservatu potest contingere quod coniuges ob causam omnino independentem ab eorum voluntate non possint seu non debeat completere actum quamvis aliunde id velint. Ponas casum qui aliquando contingere solet, in quo proles de facto vitanda est; salus etiam vel etiam vita uxoris ex nova conceptione graviter periclitatur. Coniuges cum ex sua inclinatione tum ex seria et

⁶⁰ S. Offic. 3 aug. 1856 statuerat: «Uxorem in congressu condomistico non posse passive procedere, eo quod daret operam rei intrinsece illicitae». Nota magnum discrimen. Ponas in utroque casu a) bonam intentionem uxoris, volentis recte perficere actum coniugalem; b) in utroque uxorem ab initio scire actum primario matrimonii fini futurum esse contrarium. Et tamen in onanismo naturali *«licite cum marito coire potest»* passive se habens uxor, in condomistico non potest, sed ad positivam resistantiam tenetur (S. Paenit. 3 iun. 1916). Ergo liceitas cooperationis materialis in primo onanismo naturali, sicut non impeditur cognitione, ab initio actus, exclusionis generationis prolis, ita *non iustificatur* ex sola bona intentione perficiendi recte actum coniugalem, sicut non iustificatur onanismus condomisticus ex eadem recta intentione, sed *«quia dat operam rei et actioni licitae»*. Certe requiritur quod intentio non sit mala, ne res et actio licita fiat in honesta.

⁶¹ Rom 3, 8.

⁶² Opusc. 4 (3). Expositio in duo praecepta caritat. et in decem Legis praecep., c. 6.

sincera voluntate filios habere volunt; sed ex praedicta causa suae voluntati omnino extrinseca actum coniugalem completum in diebus genesicis peragere nequeunt. Nam ex illo damnum valde grave pro uxore sequeretur. Aliunde in ipsis diebus incontinentiae periculum urget aliquem matrimonii usum ne carnis concupiscentia vincantur. Ponas iterum praedictos coniuges ex experientia nosse nullum pro ipsis proximum pollutionis periculum existere in amplexu reservato peragendo et appetitum sedari, saltem in incontinentiam vincendam. Quis amplexus reservati liceitatem in hoc casu negavit? Si materialis cooperatio in onanismo naturali, *libere, deliberate*, vero *actu humano* posita, etsi uxor ab initio sciat suum actum coniugalem numquam perfectum iri, licita est cum causa iusta vel proportionate gravi, modo non consentiat sui mariti peccato; non erit licita naturalis unio horum coniugum desiderantium habere actum completum et perfectum quamvis ab initio sciant eum non perfecturos esse, quia impediuntur causa valde gravi, eorum voluntati extrinseca et non inhonesta, ut est causa onanismi naturalis?

B) Ad rationem positam in b).—Si obiciens vult significare coniuges amplexum reservatum exercentes posse ab initio actus habere intentionem naturali primario matrimonii fini contrariam, conc.—Evidenter coniuges in amplexu reservato peragendo possunt ab initio actus habere malam intentionem fruendi *unice* voluptate et excludendi prolis generationem, sicut eam possunt etiam habere coniuges matrimonio utentes *unice* in diebus agenesicis et alii alio modo operi carnis vacantes.—Si obiciens vult significare coniugibus amplexum reservatum exercentibus *inesse ex natura actus* intentionem naturali fini generationis contrariam, negatur omnino sive agatur de *intentione ipsi fini actus* (amplexus reservati) *extrinseca, non coincidente cum illo*, sive de *intentione cum ipso fine operis seu actus coincidente*.

a) *Non in primo casu*, quia coniuges amplexum reservatum exercentes possunt velle sincere habere filios, a quibus generandis causa valde gravi impediuntur, ut in exemplo allato explicatum est.—Dices: haec voluntas reducitur ad meram velleitatem.—Dato, non concessio; sed hoc probat posse coniuges habere talem voluntatem non contrariam naturali primario matrimonii fini. Idem dic si sibi proponunt fovere amorem, gravem infidelitatis suspicionem amputare, etc.

b) *Nec si agatur de intentione coniugum coincidente cum fine operis ipsius actus* (seu amplexus reservati). Siquidem, possunt sibi proponere vincere incontinentiam per sedationem appetitus, exercendo hunc actum incompletum. Iam vero recentiores communiter, factibus ipsis primae sententiae fautoribus, tenent actus imperfectos (a fortiori amplexum reservatum, excluso proximo pollutionis periculo) *servare ordinem essentialiem ad generationem*, vitato praedicto pericu-

lo. Insuper, praedicti actus imperfecti sunt *de se mediate destinati et subordinati* ipsi generationis fini, cui *dispositive* inserviunt. Nam tales actus imperfecti (a fortiori amplexus reservatus) conservant, alunt et augent vigorem sexualem coniugum prolis generationi necessarium, fovent «mutuum eorum affectum continentem (non primario et principaliter) sed ex intentione naturae et Creatoris etiam naturalem affectum sexualem», qui «ad bonum fidei coniugalitatem» servandum maxime aptus est. Et quis negabit sexualem coniugum vigorem conservare, alere et augere, affectum eorum sexualem fovere et eius effectum «bonum fidei» tueri et nutrire, quis negabit, inquam, haec omnia vere et realiter iuvare *mediate* primarium matrimonii finem, eique optime inservire? Iam vero actus venereus incompletus qui *mediate vere iuvat* primarium matrimonii finem eique *dispositive optime inservit*, nequit *per se, ex natura sua*, inferre in peragentibus illum intentionem praedicto fini contraria. Ergo coniugibus amplexum reservatum peragentibus non inest *ex natura talis actus* intentio primario matrimonii fini contraria.

Dices: Tamen excludit prolis generationem, quia inseminationem cohibet.

Certum est amplexum reservatum cohibere inseminationem. Ideo obiciens dicit illum excludere prolis generationem. Distinguo. Si obiciens vult dicere amplexum reservatum non inservire *immediate et effective* prolis generationi, conceditur; non inservire *mediate et dispositiva*, negatur. Explicatio distinctionis patet ex modo dictis et ex superius expositis in responsione ad duo priora argumenta primae sententiae.

C) Cooperatio uxoris in onanismo naturali est actus venereus imperfectus, ut patet ex eo quod vir eum abrumpit fundens semen extra vas debitum. Hic actus venereus est ex parte uxoris, servatis debitiss condicionibus, licitus. Quia a) mulier nihil agit contra naturam, b) «quia dat operam rei et actioni licitae; c) quia tota actus inordinatio ex viri malitia procedit, qui loco consumandi, *retrahit* se et extra vas effundit» (S. Paenit. 1 febr. 1823; 3 apr. 1916 approbans sententiam probatorum teologorum, quae hodie est communis).

Condiciones, ut uxor ad malam sui mariti actionem licite cooperetur, sunt: 1.^a *ut non consentiat peccato sui viri*; secus esset cooperatrix, non materialis, sed formalis, et peccaret peccato sui mariti; 2.^a *ut commoneat prudenter suum virum de obligatione desistendi ab hac turpitudine*. Ita enim exigit caritas erga eum, ut ipse resipiscat; 3.^a *causa gravis*, ut permittere possit actum sui viri inordinatum; et etiam ex caritate erga seipsam ut vitet, cum mala forte ei a marito minitata si non consentit, tum omnis consensus periculum. Sed omnes tres hae condiciones accidunt ipsi naturali dictae cooperationis actui,

qui natura est anterior eis, ideoque et *in se, obiective et intrinsece res et actio licita*, ut asserit S. Paenit. 11. cc.

D) Quod etiam patet *ex natura ipsa cooperationis* mulieris ad onanismum naturalem. Haec cooperatio est *immediata*. Ipsa enim mulier ponit eundem actum coniugalem imperfectum cum suo viro, qui eo abutitur ad effundendum extra vas debitum. Hic autem actus coniugalis imperfectus *in se*, ex parte uxoris est aut intrinsece bonus vel indifferens aut intrinsece malus. Non datur quartus terminus. Si primum vel secundum eligis, habemus quod haec sententia 2.^a proponnat; si tertium, tunc predicta uxoris cooperatio dicenda est semper *illicita*. Actio enim *intrinsece* mala, vero actu humano posita, nequit non esse semper peccatum, quia cooperans sciens et volens in tali actione non potest *mere passive, mere materialiter* se habere in ordine ad peccatum principaliter agentis. Quod confirmatur ex uxore cooptante in onanismo condomistico. S. Officium, ut notatum est, iam statuerat 6 apr. 1856: «*Uxorem in congressu condomistico non posse passive procedere, eo quod daret operam rei intrinsece illicitae*»⁶³. Ergo qui ponit cooperationem mulieris in naturali sui viri onanismo esse illicitam, ipso facto *implicite* docet esse rem et actionem *intrinsece* malam; et e converso, qui cum S. Paenitentiaria (et sententia communis) asserit uxorem «*in coitu cum viro suo dare operam rei et actioni licitae*», implicite quoque dicit (quia agitur de cooperatione immediata) talem actum imperfectum ex parte uxoris esse ex se, *obiective et intrinsece* licitum (vel saltem indifferente). Ipsa Paenitentiaria docet mulierem in dicto casu «*nihil agere contra naturam*» exprimens *explicite* quod in alio responso dicit *implicite*.—Et ita bene intelligitur quomodo, etsi uxor iam ab initio sciat hunc actum coniugalem imperfectum a se ponendum nunquam perventurum ad naturalem generationis prolis perfectionem, et ipsum cum tali cognitione exerceat deliberate, *vero actu humano reali*, effectivo, in rerum natura existente, non ideo ex eius parte, servatis praedictis condicionibus, desinit esse licitus et honestus.

⁶³ Cf. in hunc sensum responsum S. Paenit. 3 iun. 1916. Haec cooperationis doctrina fundatur in notissimo principio voluntarii indirecti de duplice effectu ex eadem actione procedenti, altero bono et altero malo, sc. quod praeter condiciones requisitas: a) de immediato origine effectus boni a causa seu actione; b) de recta intentione cooperantis; c) de causa proportionate gravi malo permisso; d) *condicio omnino requisita* —et hoc valde notandum est— quod *causa ipsa seu actio cooperationis* sit *in se obiective et intrinsece* bona vel saltem indifferens. Ideo hic actus venereus imperfectus ex parte uxoris, positis ponendis, est licitus; malus pro viro coniungente cum eadem actione suam malam abrumpendi actum intentionem, quam tempore a se electo exequitur.

Uxor, igitur, ultra intentionem coincidentem cum fine operis praedicti actus⁶⁴ potest habere alias intentiones, mere subiectivas, bonas, quibus ille actus in sua honestate naturali (vel indifferentia morali) perficiatur.—Non potest mulier, uti diximus, velle peccatum sui mariti, nec habere alias intentiones malas, quibus actus moraliter corrumpatur.

Unde sequitur ex dictis, quod si tollis mariti peccatum, pollutio nem nempe, proximumque pollutionis periculum, intentionem quaerendi exclusive delectationem venereum aliumve finem malum; si ponis causam proportionate gravem, cohonestantem in actu non seminationem viri: v. gr. sanitatem uxoris graviter pericitantem ex nova conceptione⁶⁵ vel pthisim mariti, qui vires non seminando servare debet⁶⁶, et una cum iis iungis necessitatem sedandi concupiscentiam, tunc videbis amplexum reservatum, positis ponendis, posse in aliquo casu esse licitum.

Secundum, igitur, hanc sententiam amplexus reservatus non est *in se obiective malus, illicitus*, ideoque potest in aliquo casu esse licitus, si ordinatur ad finem matrimonii *quoad se et quoad modum*, ut dictum est, seu si serventur hae conditiones:

- a) exclusio proximi pollutionis periculi, normaliter praevisi et voliti;
- b) causa proportionata, ut incontinentia vitanda, mutuus affectus coniugalis fovendus, suspicio infidelitatis auferenda, sedatio appetitus, etc.;
- c) temperantia, ne voluptas dominetur, ut non agere ob solam delectationem;
- d) recta intentio in coniugibus, ne ii excludant fines matrimonii aut alium in honestum finem intendant.

En duas sententias in scholis catholicis libere traditas. Theorethice nusquisque eligat eam, quae sibi magis arriserit.

⁶⁴ «Obiectum formale actus humani, quem mulier ponit in illa materiali et licita cooperatione, est naturalis unio corporum ad finem generationis voluntate et inde naturae saltem dispositiva apta et destinata, a viro (vel aliquando, positis ponendis, etiam a muliere) petita et a duobus coniugibus mutuo actu humano patrata» HÜRT, «Periodica», I. c. 267-268.

⁶⁵ PIUS XII in *Alloc.*, 29 oct. 1951; AAS t. 43, p. 845-846; PIUS XI, *Casti connubii*, DB 2241.

⁶⁶ Pthisici ordinarie vehementi concupiscentia agitantur. Sed frequens matrimonii usus cum inseminatione multum eis nocere potest; secus, si non semper inseminant (Cf. NOLDIN-SCHMITT, I. c., n. 86, b; ANTONELLI, *Medic. Pastor.*, 11, n. 802).

2.^a QUAESTIO. — AMPLEXUS RESERVATUS SECUNDUM
SUAS CIRCUMSTANTIAS OBIECTI ET SUBIECTI
INSPECTUS

A) *Ex circumstantiis obiecti.* 1) In amplexu reservato continetur naturale et sat magnum periculum orgasmi in alterutro vel etiam in utroque coniuge orituri post abruptam copulam, i. e. periculum commotionis venerae completiae. Ideo auctores theologiae moralis docent: *Incoeptam copulam praesumi per se proxime influere in pollutionem*⁶⁷. Alii dicunt esse quasi inchoatam pollutionem⁶⁸. Atqui coniuges licite proximum pollutionis periculum *temerarie* inducere nequeunt.

Nec valet dicere: talem effectum esse *effectum per accidens*, non intentum. Nam unio reservata ex natura sua apta et efficax est ad hunc effectum producendum. Ideo, si accidit, saltem *voluntarius in causa est*⁶⁹.

B) *Ex circumstantiis subiecti.* Coniuges ad ita agendum haud raro impelluntur infreni delectandi cupidine, habentes veluti unicum agendi obiectum et motivum *delectationem*, quasi haec esset ex voluntate naturae et Creatoris *plena sui ipsius ratio*, non incitamentum et invitatio ad finem multo altiore et nobiliorem. Quotiescumque igitur in exercitio amplexus reservati indomita subest libido, contra eum haud parum habet sacerdos et confessarius ex lege Christiana monendum et obiciendum⁷⁰. Pius XII contra hunc *antichristianum hedonismum* in Allocutione 29 oct. 1951 his severissimis verbis invectus est: «Pondus et sanctitas christiana legis moralis prohibent quominus libido effrenate expleatur unaque expetatur voluptas, nec patiuntur hominem ratione praeditum tantopere servire libidini, sive quoad eius actum sive quoad eius adiuncta»⁷¹. Alludit hic Romanus Pontifex ad illud exercitium seu *initiationem*, quam ponit D. Chanson ad adquirendum dominium sui ipsius, imperium in instinctum sexualem quoad ultimam phasim coniugalibus actus, i. e. in reflexum nempe procreationis seu inseminationis.

2) Defectus plerumque rectae dispositionis animi in coniugibus, sc., *exclusio prolis* sive ex eius vilipendio, sive ex desiderio eam vitandi nullo serio motivo innixi, substrahentes se muneri et officio status matrimonialis. Siquidem coniuges habitualiter utentes iure coniugali

⁶⁷ GENICOT-SALSMANS-GORTEBECKE, II, 666, Bruxellis, 1951; NOLDIN-SCHMITT, o. c., n. 94, 3.

⁶⁸ ANTONELLI, *Med. Pastor.*, 11, n. 849-853.

⁶⁹ Cf. HÜRT, «Periodica de re morali can. et lit.», 267-268.

⁷⁰ Idem l. c., p. 258.

⁷¹ AAS t. 43, 853.

si causas graves habent vitandi conceptionem non agunt illicite; Pius XII, ob solas causas fuitiles et inanes, reprobat talem agendi modum in citata Allocutione⁷².

Aliae obiectiones contra unionem reservatam

Praeter has obiectiones valde graves modo expositas, desumptas *ex circumstantiis obiecti et subiecti* contra amplexum reservatum, en brevem recensionem earum, de quibus aliqua iam innuimus.

1) *Inversio finium matrimonii* ut modo indicatum est. In libris Chanson ne unum fere verbum dicitur de generatione et educatione proliis in cultum Dei. Tota eorum doctrina insumitur in describenda eleganti stilo carnis voluptate. Quid mirum igitur si coniuges hierarchiam finium matrimonii invertunt in unione reservata? Insuper, in ipsis scriptis exponitur modus maiori artificio obtinendi et protractioni amplexum reservatum ut ampliori oblectatione gaudeant coniuges. Hinc facile ipsis est mentem imbibere voluptate tamquam finem primarium eam habentibus et e contra generationem et educationem proliis tamquam secundarium contra voluntatem Dei et naturalem matrimonii institutionem⁷³.

2) *Falsa afirmatio*. Matrimonii felicitatem, inquiunt, adaequare mutuae voluptati ex actu coniugali reportatae. Nihil magis alienum a veritate responderet Pius XII, quia felicitas matrimonii potius est in ratione directa mutuae reverentiae, quam coniuges servare sibi debent etiam in ipso actu exequendo. Non quod dishonestum putent quod natura offert et Creator eis donavit; sed quia huiusmodi reverentia mutuaque inde oriens aestimatio validissima causa sunt casti amoris, multoque inde tenerioris.

3) *Immoderata exaggeratio valoris et momenti voluptatis carnalis*. Coniuges ex hac doctrina exaggerata concipiunt ideam falsam suae felicitatis, vel saltem praecipuam suam felicitatem in hac vita repositam esse in obtentione maxima voluptatis sexualis. Hinc vehementer hac concupiscentia excitati et inde obcaecati suam beatitatem in hoc mundo tandem reponunt in haurienda maxima vitae sexualis oblectatione. Quomodo se defendere possit christianus infimae vel mediae culturae contra impugnationes —ita appellare debemus—, locutiones et ideas auctorum, qui unionem reservatam repraesentant tamquam ritum sacram, *magnum quemdam nixum seu conatum ad ascensionem spiritualem*, veluti metam, columen spiritualitatis coniugalis? vel contra

⁷² Ib., 845-846.

⁷³ Cf. PIUS XII, Alloc., 29 oct. 1951.

insidias, bona fide, si vultis, sed tandem veras insidias sparsas contra incautos, «dum praedicti auctores, ut ait Rvdus. Dnus. Besse, affirmant amplexum reservatum esse fussionem animarum coniugum, quamdam gratiae fontem, et etiam sacramentum quoddam. Immo comparationem amplexus reservati cum Stma. Eucharistia instituerunt. Et pro Theologia data est haec litteratura; et ex ea factum est summum spiritualitatis coniugalis»⁷⁴. Merito igitur Sms. Dominus Pius XII consurgit fortiter adversus hos scriptores catholicos, amarissime dolens de infanda diffusione suorum scriptorum, quorum vi in animum et in iudicium practicum lectorum ingerunt ideam falsam vitae sexualis quasi valor et finis hominis in ea totaliter sisteret⁷⁵. Contra hanc exaggeratam exaltationem vitae sexualis confessarius multa habet opponere paenitentibus, ostendens illis falsitatem huius elati lyrismi, in memoriam revocando finem primarium matrimonii et *obligationem, quam habent coniuges, habitualiter usu matrimonii fruentes, tribuendi praestationem proli*s ad generis humani conservationem ex ipsa natura institutionis status matrimonialis, ut a Pio XII audivimus⁷⁶.

4) VIAM STERNIT ONANISMO. Unio reservata exigit *initiationem* ad acquirendum dominium sui ipsius, imperium omnino necessarium in instinctum sexualem praesertim in ultima phasi actus ut seminatio cohibetur, id est, copula reservata valde exquisitam requirit educationem, quae indubitanter non potest acquiri ab omnibus neque immediate applicari: periculum enim esset deveniendi in existum infelicem potius quam in bonum successum. «Omnes pares iactabunt se posse in prosperum finem pervenire; at multi experimentis infructuosis se exercent. Et tunc qua ratione et quomodo ii pares infortunati a prosequenda initiatione disuaderi poterunt? Sese anomales reputabunt, amplius irascentur, et tamquam compensationem sui casus ad obtectum onanismum, fucatis rationibus, current»⁷⁷.

Eiusdem sententiae est Perillustris Canonicus Joanes Dermine asserens: «Timeri potest ut huius methodi exercitatoribus desit illa patientia et peritia necessaria ad eam initiationem quam requirit praxis amplexus reservati, et tunc haec praxis pro iisdem deveniat mera occasio aut forma onanisimi plus aut minus palliati»⁷⁸.

5) *Oblivio veritatum christianarum, quae vigorem animae tri-*

⁷⁴ Cf. *Limit. des Naissanc.*, 284.

⁷⁵ Cf. *Alloc. ad patres Familias e Gallia Romam peregrinantes*, 18 sept, 1951, AAS t. 43, 730-734.

⁷⁶ Cf. *Alloc. 29 oct. 1951 ad Obstetrics Catholicae Italiae*: AAS, 43, 845 s.

⁷⁷ *Limit. des Naissanc.*, 279.

⁷⁸ Ib., 313.

buunt ad resistendum illecebris carnis, cuius oblectamentum unio reservata principaliter intendit. Ideo confessarius docere debet paenitentem et etiam eius in memoriam revocare veritates fundamentales ascensis catholicae, sc. necessitatem sanctae mortificationis tam frequenter in Evangelio a D. N. Jesuchristo praedicatam et in animis audientium ingestam; gravissimum aeternae damnationis periculum, in quod incurunt, qui concupiscentia carnis dominantur; item necessitatem resistendi appetitus sexualis stimulis; recursum frequentem ad orationem, huiusque necessitatem, sacramentorum receptionem, spiritum sacrificii et pudorem servare. Denique eos instruere debet circa possibilitatem servandi haec omnia cum Dei auxilio, quod imprestatione obtinetur, immo cum dicto Dei auxilio posse coniuges castitatem et continentiam absolutam servare.

6) Confessarius coniuges docere quoque debet, prout circumstantiae exigant, prudenter et moderate quemlibet christianum paratum esse debere bono animo ad impletionem etiam heroicam, si casus ferat, legis divinae, ne Deus graviter offendatur⁷⁹. Multi enim Christiani, ut inquit Papa Pius XII, privati omnibus bonis fortunae, destituti ab omnibus muneribus quae laudabiliter in societate exercebant, carcerem durissimum immanibus tormentis patiuntur, et dispositi sunt ad vitam pro fide fundendam ne ipsam fidem negent. Multo facilius est servare castitatem, quando salus uxoris vel alia causa exigat quam illa terribilia pati tormenta ad non negandam fidem. Et si coniuges respondent castitatem servare esse impossibile, confessarius in promptu habeat haec Tridentini verba: «Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet et facere quod possis et petere quod non possis et adiuuat ut possis»⁸⁰. Si quis dixerit Dei praecepta homini etiam iustificato et sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia: A. S.⁸¹.

7) Denique confessarius semper poterit opponere reservato coniugum amplexui, quod hic secum fert periculum magnum gignendi in vita sociali humana et in vita coniugum immersionem hominum in hedonismo a) cum oblivious obligationum sacrarum status coniugalis relate ad prolem eiusque educationem, et veri sensus christiani et sanctitatis vitae coniugalis; b) cum discriminis influendi in favorem degradationis et perversionis animarum et avertendi oculos et hominis cor a rebus caelestibus et hoc demergendi in re terrae viliori et immunidiori.

Conclusio practica. Bene nostro iudicio scribit clar. P. Hürt: Responso Sti. Officii ita est ut alia magis fundata et aequilibrata inveni-

⁷⁹ Cf. S. THOM., 2-2, q. 124, a. 1; Quodl. IV, a 20.

⁸⁰ Ss. VI. c. 11: DB n. 804; S. AUGUS., *De natura et gratia*, c. 13, n. 50: ML 44, 271.

⁸¹ Ib. DB n. 828; Cf. DB n. 1092.

ri vix posset circa amplexum reservatum. Nam ex dictis haec constant: a) *ex una parte* plura ex lege christiana contra eum esse obicienda. Ideoque in praxi non est consiliandus, sed e contra, generatim, fere semper disuadendus ob pericula notata in eo;

b) ex alia parte non certo probatur neque ex natura rei, neque ex communi moralistarum sententia, neque ex Monito Sti. Officii amplexum reservatum *in se esse contra rectum ordinem*.

c) Sequitur, ergo, 1) quodsi in aliquo casu particulari *certum est* ob peculiares condiciones, ex parte circumstantiarum nihil monendum esse, 2) si insuper certum est coniuges ita agentes duci seriis iustis motivis, *tunc non constare unionem reservatam* non posse unquam exerceri sine peccato⁸².

A. YANGUAS, S. I.

⁸² HÜRT, l. c., 268s.